Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 443
Quelle:
Copyright:

distinctus, et olim *Montis Pomarii*, vulgo *Baumgartenberg*, Monasterii Ord. *Cist.* in *Austria* super. ab selectu, curaque Codicum *mss.* in primis laudandi *Origeniana* continet, quae refero: I. *Expositio Origenis.* In Symbolum videlicet Apostolorum hoc ingressu: *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Bene incipit a credulitate confessio. quia sic et beatus paulus expressit. Corde creditur ad iusticiam. ore autem confessio fit ad salutem. Credo ergo in deum patrem omnipotentem deum ingenitum. qui ortus a nullo est. a nullo conceptus. deum inuisibilem. quem nullus oculus carnalis uidere potest* &c. Ita per Fidei articulos fit progressio. De primo Homine legas: *Aspice quia terra erat mater eius & uirgo erat. Uirginem terram esse diximus. quia necdum sententiam dampnationis acceperat. ut spinas et tribulos germinaret. nec ab humano sanguine. aut alicuius sepultura uiolata fuerat.* Ad quod redit Autor, dum de Christi tentatione ait: *Par enim erat. ut qui uirginis filium uicerat. a filio uirginis uinceretur.* Demum *col.* 10. concludit: *Ipsi uero apostoli cum essent congregati in unum propter metum iudeorum ante quam diuiderentur in terris. ut eis a domino iussum fuerat inspirante spiritu sancto singula capitula protulerunt quę postea futurę ecclesię per uniuersas prouincias tradiderunt dicentes. Credo in deum patrem omnipotentem.* Inspexi haud obiter *Origenis* Opera. Nulla hujusmodi Symboli *Expositio.* Video tamen in *Possevini Apparatu S.* T. II. *Adpend.* p. 87. inter Codices graec. Biblioth. *Heidelberg. n.* CCLXXIX. notari *Origenis Sermonem de Catechesi.* Quid si hic Versionis nostrae foret ἀρχέτυπος? *Sermonem* illam dici posse, vel haec probant: *Hec in uobis maneat fides. hoc depositum custodite karissimi* &c. Versionem esse, satis docet scriptionis indoles, neque obstant Loca Scripturae ad Vulgatam expressa; huic enim adcommodare facile potuit Interpres. Denique ad *Origenis* aetatem pertinere posse Tractatum, evincunt illa, quibus non semel Christianos contra Gentiles, Judaeos et Haereticos praemunit. Itaque Codex mox citatus nodum solvere possit.

II. *fol.* 3. p. 2. sequitur *Omelia prima in leuiticum.* Ita: *Sicut in nouissimis diebus verbum dei ex maria* &c. cum reliquis XVI. prout extant edit. *Maur. Paris.* 1733. T. II. *col.* 184. f. quacum etiam Textus praeclare consentit. Monendus tamen est Lector post *fol.* 48. excidisse nobis membranas *Homiliae* VIII. partem maximam continentes, scilicet a verbis: *Ubi autem venit plenitudo temporis misit deus* — usque ad verba: *Post omnia etenim quae pro purificato celebrata sunt* &c.

III. *fol.* 80. p. 2. *Incipiunt capitula omeliarum orienis* (sic) *adamantii in ihesu nave.* Licet *Homiliae* tantum XXVI. numerentur, Capitulare tamen istud ad XXX. ascendit, quia in eo quorundam Capitum seu *Homiliarum* Inscriptio in plura Puncta divisa est.

Po-